

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM  
SECUNDA

De  
ENTIS DEFINITIONE ET DIVISIONE.

Quam  
Divinâ favente gratiâ

Permissu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
PRÆSIDE

M. SALOMONE LENZIO,  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
Adjuncto.

Pro virili defendet  
BERNHARDUS NEANDER  
Müchella-Misn.

In incluta SALANA Horis locoq; consuetis  
Ad diem 28. Martii.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M. DC. XV III.



Philos. B.  
208,409-



V I R O

*Admodum Reverendo, Clarissimo aq. Excellentissimo,*

**Dn. JOHANNI MAJORI**

S. S. Theologiae Doctori, Professori P. Facult.  
Theologicae Seniori venerando ac Superattendenti  
Jenensis vigilantissimo.

U T E T

*Amplissimo, Consultissimo, Praestantissimoq. Viro,*

**Dn. JULIO Armb/J. U. D. Curiae Provin-**  
cialis Advocato dignissimo,

N E C N O N

*Splendido Nobilitatis genere, virtutum ac doctrinarum  
laude maximè conspicuis Viris-juvenibus.*

**Dn. SIGFRIDO à JAGOW.**

Dn. JACOBI, in Carsic.  
Hereditarii F.

Dn. ERICO HEINRICO


&

HAGEMANN. Fratr.  
Germ. L. L. Stud.

Dn. CONRADO JULIO

**Dn. FRIDERICO Kuhnen / Pa-**  
tritis Halensi Primario.

*Dominiis suis Patronis maximis, Promotoribus &  
Fautoribus humilimè animi subjectione  
etatem cclendis.*



Hoc Exercitium

D D

BERNHARDUS NEANDER B.





*Disputationum Metaphysicarum II.*

*De*

**ENTIS DEFINITIONE AC DIVISIONE.**

**THEMA I.**

*Ens est id, quod habet veram ac realem essentiam, prout est natum ad realiter existendum.*

*Εξήγησις.*

**THESIS PRIMA.**



**I**gnorato subjecto multa ignorantur, quæ de subjecto traduntur, & licet subjectum in disciplinis non probetur, sed præsupponatur, quid tamen sit, non incommodè declaratur.

2. Entis vox ambigua est & sumitur,

1. *Participaliter* prout descendit à verbo *Sum* & significat actum essendi exercitum, & sic propriè non sumitur, ejusmodi enim actus dantur in Entibus particularibus. 2. sumitur *nominaliter*, prout notat essentiam rerum sine existentia mentione, & sic rectè dico etiam tempore æstivo nix est Ens, id est, nix est talis res, quæ habet realem & veram essentiam, etiam si non existat.

3. Quod attinet definitionem sciendum, illam non esse propriam, sed descriptionem potius, quia Ens universalissimum est, quod transcendit omnes categorias, ideò genus propriè habere nequit, daretur enim adhuc universalius & latius quod est contra naturam hujus disciplinæ, quæ sola tradit universalissima.

A 2

4. Acce-



4. Accedit quod progressus in infinitum sapienti dari non debeat, aliàs nulla tandem oriretur certitudo & subsistentia ingenii humani, si enim Enti adhuc daretur latius, illud latius rursus esset ab alio & haberet supra se aliud latius, quod rursus à seipso esse non potuisset, & sic rursus habuisset aliud latius, ut ita in infinitum descenderet, à quo tamen & natura & scientia abhorret.

5. Describitur ergo Ens per Essentiam, cum qua arctissime copulatur, ita ut se mutuò ponant ac tollant & vulgò res talis dicitur, qualis ejus est essentia.

6. Est autem essentia quæ aliàs quidditas appellatur id, secundum quod Ens intrinsecè nominatur, dupliciter a. se habet Ens vel *ratione rei*, & sic est Ens primum infinitum ac radicale principium omnium operationum ac proprietatum, quæ rei conveniunt: *Vel ratione cognitionis*, refertur ad intellectum, & sic Ens est quod omnium primò ab intellectu nostro concipitur, tanquam communissimum.

7. Cognitio illa est vel originalis & confusè, & sic procedit à sensibus, vel est perfectionalis, & sic est à priori & universaliori, tunc n. rem quis rectè novit, quando essentiã inquisivit.

8. Differentia specifica in descriptione est 1. quod Ens debeat esse *verum & reale*, in quo ab Ente fictitio & non Ente distinguitur 2. debet habere facultatem ad existendum. Ubi nata discrimen inter essentiam & existentiam. Quamvis enim hæc duo in divinitate aut in Deo ob simplicitatem coincidunt, ut loquitur *Thomas part. 1. q. 3. art. 4.* In creaturis tamè distinguuntur. Essentia n. latius quoddam quàm existentia, quæ ipso actu intra & extra suas causas existere potest. Hinc quidè omne existens habet suam essentiam, sed non omne quod habet essentiam, habet existentiam, quamvis aptum sit existere.

## THEMA II.

### *Entis variæ dantur divisiones.*

9. Ens est vel *reale vel rationale*. Ens Reale est, quod citra mentis operationem extra intellectum in natura existere aptum est. Sic animal, homo, sunt Entia realia, quæ sunt in natura, etiamsi meus intellectus non cogitet.

10. Dupli-



10. Dupliciter autem aliquid reale extra intellectum dici potest: Primò quando res extra intellectum sunt, ut jam diximus. Secundò quando à causa reali effectiva producta in intellectu subsistunt, ut species intelligibiles, actus intelligendi & habitus scientifici.

11. Est autem quadrupliciter aliquid in nostra mente. 1. *Subjectivè*, quando aliquid inhæret intellectui ut subjecto & sic insunt habitus intellectuales & species intelligibiles. 2. *Effectivè*, quando ab intellectu nostro aliquid producitur, & sic artificialia insunt intellectui, quia ipse est, qui modum rei efficiendæ primò format & deliniat. 3. Est aliquid in intellectu, *Objectivè* quando res intellectui objicitur ut cognoscendæ & sic res extra intellectum constitutæ objectivè insunt intellectui, ut lapides, animalia, quæ primò objiciuntur sensibus & movent intellectum, ut speciem quandam abstrahat & imprimat sibi, ut licet postmodum nunquam ejusmodi res videat, tamen imaginem semper circumferat. Sic color, licet subjectivè sit in corpore colorato, est tamen etiam objectivè in oculo, quem afficit & allicit ad videndum. 4. *Objectivè consequenter*, quando Ens aliquod fingitur ad modum Entis realis, & sic insunt Entia rationalia, ut syllogismus, subjectum, prædicatum &c. Ergo in intellectu realia propriè sunt prior & secundus modus.

12. Porrò Ens reale *δ*, *Metaph.* 7. distinguitur in id, quod est *per se* & quod *per accidens*.

13. *Ens per se* est, quod ex se & suâ naturâ habet essentiã & est vel *simplex* vel *compositum*, simplex est, quod simplicem obtinet essentiã, Estque vel *independens* ut *DEUS*, qui est simplicissimus, vel *dependens*, ut Angeli & anima rationalis, quæ licet in se simplices essentiæ, respectu tamen Dei compositionis non sunt expertes, ut videbis apud *Scalig. Exerc. 359. f. 12.*

14. *Compositum* est, quod constat ex duabus rebus, quarum altera actionis, altera passionis naturam obtinet, & huc pertinent distinctiones substantiæ, de quibus suo loco.

15. *Ens per accidens* est, quod suam essentiã habet non ex se, sed ab alio cui inhæret, & huc pertinet accidentia *Quantitatis* & *Qualitatis*, quæ Entia sunt, sed non ex se, sed ex materia & forma quibus adhærent.



16. *Ens aliud est permanens*, cujus essentia simul est, ut lapis, equus, vel est *successivum*, cujus essentia est in perpetuo fluxu, ut motus & tempus.

17. *Ens aliud absolutum aliud relatum*: illud est quod potest esse, etiam si non referatur ad aliud, sic essentiam habet cœlum, numerus, & qualitates, etiam si non referantur ad aliud. *Relatum* verò Ens est, cujus natura tota consistit in relatione ad aliud, sic pater est pater, quia refertur ad filium.

18. *Ens aliud est finitum aliud infinitum*. Infinitum est, cujus essentia nullis limitibus est circumscripta, quale est solus Deus. Finitum est cujus natura est certæ essentiæ, qua essentia non est in alia natura, sic Angelus habet suam certam essentiam, finitam & limitatam, quæ non est in ligno, lapide, cane aut bove &c. Hactenus Ens reale.

19. *ENS RATIONIS* est, quod ad modum Entis realis concipitur & fingitur. *Efficiens* causa hujus Entis est intellectus, qui id, quod non est, ad modum Entis fingit cujus rei specimina habes apud Poëtas, & apud Philosophos in disciplinis instrumentalibus, Logica nempe, Grammatica & Rhetorica, in quibus termini excogitati sunt ad meliorem intellectum.

20. *Materia* Entis, ex qua propriè datur nulla: In qua est intellectus cui inhæret. *Forma* Entis rationis est analogia & conformitas cum Ente reali. *Finis* est ut intellectus noster in difficillima rerum cognitione adjumentum habeat, dum enim res ipsas penetrare non potest, fingit Entia rationis, eaque Entibus realibus accommodat.

21. Tria autem sunt Entia. I. Negatio, Privatio, Relatio rationis.

22. Quicquid enim intellectus meus fingit, est vel negativum vel positivum, Negativum est vel negatio vel privatio. Hinc est nihil negativum & privativum. Illud est simpliciter non Ens, hoc verò cum respectu. Sic cœcitas est non Ens privativum respectu visus. Negatio negans quæ à Scholasticis dicitur malignans, est remotio Entis realis, nihil ponens, sed quod debebat adesse tollens, ut non homo, non animal, Angelus non videt, hic est simplex negatio, tollit enim omnem visum. Etiam si ergo privatio quoque neget, non negat tamen de omni subiecto, sed de subiecto habili.

23. *Privatio*.



23. *Privatio* ergo est carentia formę in subjecto apto, sic cœcitas est privatio, quę aufert formam visus, quę debebat esse in oculo: Privatio alia est naturalis, quando per naturam aliquid tollitur & est vel totalis, à qua ad habitum ordinarię non datur regressus: Resurrectio ergo ad vitam non est opus ordinarium, sed extraordinarium. Partialis qua ex parte saltem tollitur, licet enim actus suspendatur, manet tamen potentia, quę suo tempore actū reducit, talis privatio visus est in oculo dormientis. Præternaturalis verò privatio est adventitia illa, quę homini accidit ex statu vitę dum est pauper, qui debebat esse dives, dum est miser, qui debebat esse felix.

24. Relatio rationis est respectus à mente nostra effectus & rei impositus ut sursum & deorsum, sic in columna dico dextrum & sinistrum.

### THEMA III.

*Oppositum Entis est non Ens, seu quod nullam planè habet essentiam ac proinde nec cogitabile.*

Non ens cum nihilo negativo coincidit & planè essentiam nullam habet, ideò non Ens non habet causas, non habet affectiones, non habet principia, & sic etiam non potest redigi in artem. Hinc rectè Plato in Sophist. hoc Ens vocabatur incogitabile, ineffabile, inpronunciabile & irrationale.

ζητήματα.

### QVÆSTIO I.

*Num Ens genus aliquod superius habeat?*

Sic censet *Timpl. lib. 1. Metaphys. c. 3. quest. 1.* Ubi Ens non putat esse summum, sed aliquid intelligibile & aliquid positivum. Quę sententia oppugnari potest hisce rationibus. 1. Quia Ens sic non esset transcendens, cum tamen à Philosopho 6. topic. 2. apertè referatur, qui Ens in nullius rei definitione adhibendum censet, eò quod omnibus competat: Quod verò omnibus competit, à nullo superatur. Hinc rectè in *Metaphysicis* statuitur. Quod Ens, cum genus superius non habeat, sit transcendens. Transcendens autem id esse nequit, quod supra se habet aliud. 2. Quicquid habet essentiam, Ens est. Atqui omnia quęcunq;



quæcunque in natura vel in mente sunt, habent essentiam, non quidem unam eandemque sed suam. Ergo omnia Entia sunt & per consequens nihil est, quod non sub Ente comprehendat. 3. Omne genus debet esse latius suis speciebus 4. *topic. 5. cap.* Aliquid intelligibile, & aliquid positivum cum Ente convertuntur. Ergo non sunt vera genera Entis. De reliquo facile liquet minor, aliquid enim vel dicit quidditatem & sic cum essentia convenit, vel notat id, quod est aliud quid & sic distinctum notat, quo tamen habet suam essentiam & cum essentia aliquid, quod distinguatur. Intelligibile non potest esse latius: nam si de fictitio Ente intelligit, valde aberrat, nam hoc subiectum Mataphysices non esse posse diximus, neque enim Mataphysica circa fictitia, *δοξασα* aut *μισα*, sed circa *ἴνσατα* occupata est: Si verò intelligibile intelligit de eo, quod cognoscitur ab intellectu nostro, tunc sanè omne Ens est intelligibile, & omne intelligibile Ens est, & sic potius posterius, quam prius, nam omne absolutum prius relato & contra relatū posterius absoluto & sanè Ens est prius antequam cognoscatur, alias enim homo non esset homo nisi cognosceretur, quod tamen puerile est: Hinc enim fit ut intelligibile nihil sit nisi essentia rationem præsupponat. Id enim quod non est, nullus potest capere intellectus *Thomas part. 1. quest. 25. art. 3.* Quod aliquid positivum attinet certi illud dicitur ex positione essentia: Essentia autem ubi ponitur Ens, & sic aliquid positivum latius non erit & manebit non esse superius aliquod Enti. Nugas Timpleri in conflictu videbimus.

## QVÆSTIO II.

*An universale primò cognoscatur ab Intellectu?*

Scotus, Occam, Durandus statuunt, cognosci prius à nobis singulare, à quo singulari fiat ascensio ad speciem specialissimam, à qua ad genus proximum, à quo ad subalterna usq; dum tandem ad universalissimum Ens deveniat. Rationes illorum sunt hæ: 1. Quia universale cognoscitur non nisi per abstractionem à singularibus. 2. Omne confusum citius cognoscitur quàm distinctum: Jam singularia sunt confusum quid respectu



respectu accidentium adhaerentium universalia verò distin-  
ctum: Ergo citius apprehenditur singulare, quam universale. 3.  
Quia nihil est in intellectu quod nō prius fuerit in sensu; in sen-  
sum autem singularia cadunt, quæ oblata exterioribus sensibus  
phantasiæ imprimuntur, quæ intellectui communicat. 2. O-  
mnis scientia ex primis fit principiis. Prima principia cogno-  
scuntur inductione: Inductio est singularium: singularia pro-  
inde primo cognoscuntur. In contrariam sententiam descen-  
dit Thomas, cum quo Javellus facere videtur: Rationes illo-  
rum præcipuæ sunt hæ. 1. *Arist.* 3. *de anima* t. 10. dicit Univer-  
sale ab intellectu cognosci per lineam rectam, singulare per fle-  
xam, id est, illud directè hoc indirectè, & mediante univerfa-  
li. 2. Quia intellectus in eo distinguitur à sensu, quod intelle-  
ctus universalia, sensus singularia cognoscat, cognitio autem  
propriè intellectus est. Ergo universalia primo cognoscuntur.  
3. Quia communia prius cognoscuntur quam singularia: sic  
pueri ignotam rem oblatam citius nominant eam *Ding* / quàm  
quod in individuo expriment *rodè rì*. In hoc sententiarum di-  
vortio tutum erit distinctionis adhiberi temperamentum: Di-  
stinguendum enim est 1. Inter cognitionem confusam & distin-  
ctam: illa est, quando res, quæ simplex est, cognoscitur *secundum*  
*esse*, non verò *secundum quid sit*. Distincta cognitio verò in  
simplicibus quid, in complexis non tantum *Quid*, sed etiam  
propter quid cognoscimus. 2. Disting. inter *Originalem* & *Habi-*  
*tualem* cognitionem, illa est prima rei apprehensio, hæc verò ex  
crebro cogitationis usu & acquisitione: sic Originalis cogni-  
tio canis est, cum primum conceptus ejus menti impressus. Ha-  
bitualis quando jam ex habitu canem cognosco, quotiescunq;  
libuerit. His obversatis dicimus Thomæ sententiam veram de  
cognitione originali confusa. Universale autem non cogno-  
scit abstractum simpliciter, sed ut loquimur singularisatum.  
1. Quia universalis citius abstrahitur. 2. Quia facilius cogno-  
sco convenientiam rei, quàm disconvenientiam, universalia a-  
dicunt convenientiã, & huc pertinet illud *Philosophi i Phys. tex. 4.*  
quo jubet procedere ab universalibus ad minus universalia,  
Quia omne confusum & totū notius, quàm partes. Si n. quæram  
de distincta cognitione habituali, primum cognoscitur singu-  
lare,



lare, hinc minus universale, tandem universalissimum, atq; huc  
inclinant rationes superiores primo loco allatae. *Vid. Zabarell. l.*  
*1. de ordine intelligendi. c. 12. eundem in comment. in text. 4. l.*  
*1. Phys. & si vis junge Pererium in Phys.*

### QVÆSTIO III.

#### *An essentia differat ab existentia?*

Distinguendum primum Ens est: Est n. hoc vel increa-  
tum & infinitum, quale est solus Deus, & hujus essentiam non  
distingui ab existentia, extra dubitationis aleam est positum. 1.  
Quia Deus est Ens simplicissimum: si verò existentiam ab es-  
sentia diversam haberet, admitteret sanè compositionem, quæ  
tamen in Deū tam nō cadit, quàm nō cadit aliquis cōpositionis,  
modus. 2. Quia quicquid Enti præter essentiam competit, est  
vel caussatum ab internis vel ab externis principiis, in Deo ve-  
rò à nullis principiis aliquid causari potest. Hinc axioma quasi  
vulgatum, Actu existere esse de essentia solius Dei, non verò  
de essentia creaturæ, quia solus Deus ex vi naturæ suæ absq; ope  
alterius existere potest ipso actu: Creaturæ v. absque auxilio  
divino existere non possunt. In Entibus creatis essentiam ab  
Existentia distingui dicimus. 1. quia aliās non esset proprium  
Dei non distinctam esse quoad essentiam & existentiam. 2. Quia  
Ens & existens idem essent in creaturis quod non est, alia enim  
est rosæ essentia, alia existentia. 3. Quia essentia est id per  
quod res est: Existentia verò per quam actu existit. Semper et-  
iam existentia præsupponit essentiam & est quid essentiæ addi-  
tum Zabarella lib de constit. Indiv. cap. 5. Jam verò hæc distin-  
ctio essentiæ & existentiae sit realis an rationis quæritur? Et  
verior videtur illa sententia, quæ statuit esse discrimen ratio-  
nis: ita ut essentia dicat id, quod aliquid inter latitudinem Entis  
realis constituitur, in specie v. id, quo in tali ordine ac gradu  
constituitur. Existentia verò id dicit, quo Ens formaliter  
extra suas causas existit. E.g. Homini, in se considerato ratio-  
ne Entitatis, non habito respectu, num in vel extra suas causas  
sic, tribuo essentiam, quatenus verò eundem concipio, prout  
extra causas, quibus antea solum potentia inerat  
actu existit, existentiam assigno.

Q. IV.



### QVÆSTIO III.

#### *Num Ens ex æquo dicatur de Ente reali & rationis?*

Dicimus prædicationem hanc esse æquivocam, quia formalis ratio Entis, quæ requirit habere veram ac realem essentiam aptumque ad realiter existendum, non competit Enti rationis, cujus essentia non est vera, sed imaginaria, unde extra intellectum nunquam existere potest.

### QVÆSTIO V.

#### *Nam Ens ex æquo dicatur de Deo & creaturis?*

Nonnulli statuebant, prædicationem purè æquivocam, sicut allegat Thomas quendam Rabbi, *quest. 7. de potent. art. 7.* Scotistæ statuebant esse purè univocam, id est, nomen & definitum ubique ex æquo competere, quæ sententia itidem falsa est. 1. Quia Ens per Essentiam, & Ens per participationem, non possunt esse sub uno genere univoco, aliàs enim idem deberet esse in Ente per Essentiam, quod est in Ente per participationem. 2. Quia id, quod includit omnem perfectionem, non potest esse sub eodem genere, cum eo, quod limitatam habet perfectionem. 3. Quia nullum nomen de Deo & creaturis secundum eandem rationem prædicari potest, sed quicquid de creaturis dicitur, id longè eminentiori modo dicitur de Deo: Homines dicuntur boni, justi, sapientes, qualitativè, Deus verò essentialiter est ipsa Justitia, Bonitas, & Sapientia. Rectè ergo alii dixerunt, Ens de Deo & creaturis dico analogicè: Triplex autem est analogia. 1. Essentiæ de qua *Philosophus 7. Phys. f. 31.* ubi licet genus ex æquo tribuatur speciebus, perfectius tamen in eo est, in quo p̄ perfectiorem differentiam limitatur. 2. Est analogia proportionis, quando aliquid alicui tribuitur ob similitudinem, sic pes dicitur de animali & fella. 3. Attributionis qua duobus diversis, unum tribuitur, ita ut primario huic competat, alteri secundario & p̄pter dependentiam ab alio, & hanc analogiam hic agnoscimus, ita ut Ens de Deo dicatur principaliter, per posterius verò de creaturis, quæ esse. tiam à Deo

Deo



Deo habent communicatam. Ubi si ulterius quæras an in analogia hac fiat attributio Dei ad creaturas, an verò creaturarum ad Deum, assumimus posterius. Non enim Deus à creaturis, sed creaturæ à Deo dependent.

## QVÆSTIO VI.

*An Ens dicatur analogicè de substantia & Accidenti?*

Affirmationem tenemus. Nam Quodcunque alteri largitur essentiam, illud per prius de essentia illa participat. Atqui Substantia largitur accidenti essentiam: Quia accidentis esse est in esse, unde etiã accidens per substantiam definitur. E. Entitas per prius convenit substantiæ, per posterius accidenti. Opponit se huic sententiæ *Timplerus lib. 4. Metaph c. 1. quest. 3.* Cujus argumenta disquisitio solvet.

## VII.

*An nihil sit intelligibile?*

Sic statuit *Timplerus lib. 1. Metaphys. p. 22. pag. 23.* Contra disputat magnus Philosophus *Jacob. Martini in exercitationib. Metaphysicis p. 54, 55. &c.* Cum quo sentire jubet Veritas.

## F I N I S.



*Philos B. 208, 409* *Disp. III.*